

rest etiam cum S. Hieronymo, & S. Augustino hic locus intelligi de resurrectione Christi: Dauid enim, qui satis intelligebat, se in passionibus suis Christi patientis, & morientis figuram gerere, Spiritu sancto afflatus ad Christum loquitur, ac dicit, Exurge, gloria mea : nullam enim maiorem gloriam Dauid habere potuit, quam ut Pater Christi diceretur. Exurge, inquit, gloria mea , Christe redemptor , filius meus , & Dominus meus : exurge psalterium , & cithara, id est, exurge caro Christi, quæ psalterium fuisti , dum diuina miracula operando ex parte superiore sonuisti ; & cithara , dum humana patiendo ex parte inferiore sonitum dedisti. Deinde inducit ipsum respondentem, exurgam diluculo: satis enim constat, Christum à mortuis diluculo surrexisse.

II. Confitebor tibi in populis Domine,
& psalmum dicam tibi in gentibus.

Surgens diluculo Dauid ad canendum
Deo, dicit, Confitebor tibi, id est, laudabo
te in populis Iudæorum, & psalmum di-
cam tibi in gentibus. Nouerat enim san-
ctus Propheta psalmos suos toto terrarum
orbe cantandos à fidelibus, tum ex Iudæis,
tum ex gentibus in Ecclesia congregatis.
Potest etiam sic exponi, ut Christus, qui di-
cit, Exurgam diluculo, addat etiam, se per
corpus suum, quod est Ecclesia Deum sem-
per, & ubique laudaturum.

III. Quoniam magnifica est usque ad celos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

Hæc est materia laudis apud omnes gētes , quod misericordia Dei magna effecta sit , & creuerit ysq; ad cēlos , non in se , quomo-
do semper est infinita , sed in operibus suis : & pari ratione veritas Dei , siue pro fi-
delitate , siue pro iustitia accipiatur ; reple-
uerit omnia vsq; ad nubes , id est , vsque ad
cēlos : accipit enim Propheta pro eodem
vsq; ad cēlos , & vsq; ad nubes , quæ ideo di-
cuntur in scripturis nubes cœli . Matth. 26.
Videbitis filiū hominis sedentem à dextris
virtutis Dei , & venientem in nubibus cœli .

Exaltare super cœlos Deus, & supe^r XIV.
omnem terram gloria tua.

Quomodo, Misericordia, & veritas Domini pertingunt usque ad cœlos : sic etiam pars est, ut gloria, & laus eius, & cœlum, & terram repleat.

PSALM. LVII.

Titulus, & Argumentum.

In finem, ne disperdas Dauid in tituli inscriptionem.

Titulus nihil habet noui. Argumentum est acris reprehensio hominum iniquorum : quamvis enim occasio scribendi nata sit ex iniuitate Saulis, & ministrorum eius persequentium Dauidem: tamen reprehensio est generalis, & ut monuit S. Augustinus, concionatur Spiritus sanctus per os Prophetarum ad uniuersum genus humatum.

EXPLICAT. PSAL. LVII.

Si verè vtique iustitiam loquimini, L.
recta iudicate filij hominum.

Non defunt ex recentioribus, qui velint totum versiculum legi per interrogationē, hoc modo, Num verē iustitiam loquimini? num recta iudicatis filii hominum? Sed veteres omnes Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, & alii, legunt ut nos in textu nostro habemus. Sanctus autem Hieronymus non solum in expositione Psalterii, sed etiam in versione ex hebræo vertit, Si verē vtique iustitiam loquimini, recta iudicare filii hominum. Quamuis enim in prima parte versiculi adsit in hebræo litera, he, quæ est signum interrogationis: tamen in secunda non habetur: proinde ad verbum sic vertendum esset, Num verē iustitiam loquimini? recta iudicabitis filii hominum: quæ sententia eadem est, cum ista, si verē iustitiam loquimini, recta iudicare filii hominum. Igitur sententia Prophetæ hæc est, Cum omnes homines interrogati, an sit bonum furari,

Rr mæchari,